

sint recti. Si figura quadrilatera sit æquilatera, non tamen rectangula, *Rhombus* dicitur, & *Rhomboides* vocatur si latera opposita duntaxat æqualia habuerit. Tandem quodlibet quadrilaterum ab iis quæ jam enumeravimus diversum, *Trapezium* appellatur; sed figura *polygona* dicitur quæ pluribus quam quatuor lateribus terminatur. Si latera fuerint quinque, sex, septem &c. figura *pentagonum*, *hexagonum*, *heptagonum* &c. dici solet. Figura autem *polygona regularis* est quæ æquilatera & æquiangula est.

VII. Axiomata & postulata plurima præmittere solent Geometræ, quæ quidem nos omittimus. Quæ enim est axiomatum de toto & parte utilitas ut intelligamus dimidiam lineam tota minorem esse? Equis statim non videt rectam lineam produci posse, circulum dato intervallo posse describi, & reliqua hujusmodi? Verum inter axiomata unum de figurarum *superpositione* legitur simplicissimum quidem & in universa geometria utilissimum, quod sine aliqua explicatione prætermittere nolumus. Dicunt nempe *ea esse æqualia, quæ sibi mutuo superimposita perfecte congruunt*. Principium illud *superpositionis* non ita intelligendum est quasi in mutua figurarum applicatione consisteret, non secus ac artifex mensuram aliquam datæ longitudini applicat, ut inde longitudinem concludat; talis demonstrandi ratio minime foret geometrica. In eo positum est prædictum principium ut figuram alteri impositam imaginemur & deinde concludamus 1. Ex partium datarum æqualitate, ipsam earumdem partium convenientiam sive *coincidentiam* ...

